



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

§. I. Prætensæ Concordia fundamenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

rantiâ, non præmissò examine, formavere
judicium de maiori idoneitate Confessarii,
cum quo contententur.

N. 566. Ex hoc autem, quanta morum corruptio
fundata in consimili lege eligendi inter Cō-
fessores oppositos aptiorem, ut inter certò
probabiles eligendi probabiliorem? Quanta
scrupulorum leges, tum in Episcopis ordi-
nantibus, tum in Confessariis, tum in pœ-
nitentibus? In Episcopis; quia, si inter cer-
tò probabiles sola probabilior eligenda, in-
ter certò idoneos oppositos in doctrina Cō-
fessores solus magis idoneus approbandus;
nullus ergo, sive inter doctrinæ ejusdem,
sive oppositæ Confessarios, approbari pote-
rit; eo modo, quo inter opiniones nulla mi-
nùs probabilis approbari potest. In Confes-
sariis; quia quis de se præsumat se esse reli-
quis omnibus aptiorem? Ergo si sine hoc
prævio de se iudicio absolvat, peccabit. In
pœnitentibus; quia semper prudentissimè
timere poterunt, num tale prælativum exa-
men rectè formarint. Ergo inter Confessari-
os ille solus poterit Confessiones audire,
qui se iudicat cæteris aptiorem; si enim ju-
dicet se minùs, etsi certò aptum, non est
aptus juxta fundamenta Adversariorum; &
inter pœnitentes ille solus confiteri licitè
poterit, qui iudicat suum Confessarium cæ-
teris aptiorem; si enim certò aptum, minùs
tamen aptum iudicat, peccabit, quia confite-
tur non apto. Si autem ita est, ubi præcipui
pro reformatione morum mediæ a Christo
D. instituti frequens usus? Ubi possibilitas
implendi Ecclesiæ legem omnes adultos
comprehendentem de confitendo semel san-
cto in anno? Vel enim pœnitens præmittit
tale comparativum examen de maiori ido-
neitate sui Confessarii supra cæteros doctri-
næ opposita, vel non? Si præmittit, dicitur
incredibile ob hujus iudicii impossibilita-
tem, tam moralem, ob tanta, quæ includit
examen; quàm physicam, ob regularem pœ-
nitentium incapacitatem. Si non præmittit,
ergo confitendo peccabit, sive quia iudiciū
illud prælativum de maiori idoneitate sui
Confessarii ex purâ ignorantia voluntaria
formavit; sive quia omisso eo examine con-
fessus est certò apto, minùs tamen apto,
adeoque non apto.

N. 567. Concludo insinuando impium Janenistæ-
rum, pium verò Probabilioristarum inten-
tum: utrique suam legem promovent sub
zelo veritatis, & Divinæ legis, diversissimo
tamen intento. Janenistæ hanc: Tenemur
semper ad iudicium in re verum, adeoque
nulla quantumlibet probabilis latis est; hanc
promovent eo fine, ut ostendant, legem Dei

esse observatu impossibilem; quo posito,
nulla erit laxitas, quæ non licebit; & quid-
quid libebit, licebit. Probabiliorista hanc:
Sola inter probabiles probabilior licet; &
quidem eo sine hanc legem inducunt, ut
mores reforment, quos putant per licentiam
minùs probabilis corrumpi. Verum cum
ego patenter ostenderim, quod nulla laxi-
tas per legem sequendi probabiliorem tolla-
tur, quin laxitas fiat necessaria per eam le-
gem; e contra quòd per licentiam minùs cer-
tò probabilis nulla laxitas inducatur; hinc
sequitur, quòd si alicui ex sententiis gene-
ralibus pro morum reformatione standum
est, standum potius pro non lege sequendi
probabilioris. Dixi, si alicui dixi enim supra,
quòd utraque sententia generalis perinde est
quoad reformationem, aut corruptionem
morum; morum enim bonitas, & pravitas à
nulla ex illis pendet, sed ab opinionibus par-
ticularibus; ab his enim pendet pravitas, &
bonitas, ut in simili dicit S. Bonav. citandus
n. 588.

Innocens hoc Apologiæ genus instituit,
volui comparando 1. laxissimas cum strictis-
simis, ut inde pateret, quòd non quia opi-
nio stat pro libertate est damnabiliter laxa,
& non quia opinio stat pro lege, non est
damnabiliter laxa; 2. comparando legem de
sequenda probabiliori, cum Non-lege, imò
cum licentia sequendi ex certò probabilibus,
minùs, certò tamen probabilem; ut etiam
contaret, quòd ea lex de probabiliori non
tollat scandala, quin siquid facit, auget illas;
e contra quòd Non-lex nec inducit, nec au-
get, quin siquid præstat, minuit scandala.
Vid. quæ dixi supra N. 88. 89. 104. 130.
135. 142. 147. 165. 306. 309. 477. 510. ubi
ostendi Probabilioritas esse laxiores Proba-
bilistis, & quòd longe plures ex Probabilio-
ribus sint laxæ, quàm ex minùs Probabili-
bus; & quòd nemo laxat, nisi ut Probabilio-
riorita; & quòd omnis nimis laxa, quæ à
Probabilistis tradita fuit, fuit tantum tradi-
ta ut licita; eadem autem tradita fuit à Pro-
babilioristis, non solùm ut licita, sed ut
obligatoria; plus verò est obligare, quàm
permittere laxitatem.

SECTIO XV.

Examinatur nova concordia Probabilistæ inter,
& Probabilioristæ inventa.

§. I.

Præsentæ Concordiæ fundamenta.

SUMMARIUM.

P. Ludovici Mamiani intentum, n. 569. 570.
Necessè.

bilis, si fiat ex principiis extrinsecis reflexè probabilior; & opposita tutior non fit adeo excedens in probabilitate, ut fiat probabiliter certa, tunc enim minus tuta minus probabilis non licet. In tertia quaestione de facto, quâ ostendit plerisque Probabilioritarum assertiones convenire cum assertis Probabilioritarum, adeo ut præcipuum controversiæ punctum ad normam Probabilioritarum resolverit. Cùm ergo in quaestionibus de facto utrique concordent, concordant quoque in præcipuo puncto *Secundâ suâ parte* discussio, de licito sententiæ benignæ usu.

N. Addit se tres species assensus 1. p. sect. 6. 577. adduxisse; & sect. 13. & 14. se tres Probabilitatis gradus distinxisse; quorum ultimus est, quod pars, cui ut probabiliori assentimur, non sit longo valde excessu minus probabilis probabilior; si enim ita excedat, tunc probabilior erit probabiliter certa: (ita loquitur) ergo cùm Probabilioritæ unicè negent licere minus tutam minus probabilem, quoties tutior est longo excessu probabilior; non autem negent licere, quoties motivum minus probabilis est tale, ut ob illud formidare moraliter possimus de veritate probabilioris; atque adeo motivum probabilioris non sit longè excedens motivo minus probabilis, quod totum docent Probabilitæ; eo ipso utrique in quaestione de nomine, & re concordant.

P. Thyr. Concludit 3. p. cap. ult. sect. 2. suam concordiam adductis decem ex P. Thyris propositionibus, quas P. Mam. dicit se quoque admittere, admittit enim à n. 172. ad 177. quod nemo sequi possit opinionem pro libertate, nisi perpenis omnibus principiis, tam intrinsecis, quàm extrinsecis, tum directis, tum reflexis, videatur longè probabilior opposita.

§. II.

Prænotanda.

SUMMARIUM.

Nemo examinat, an liceat minus tuta minus probabilis, si fiat reflexè probabilior, n. 578.

Quid examinetur à Probabilistis, & Probabilioristis? Ibid.

Quaestio de licito usu est reflexa; & per aliam, supra illam, reflexionem fieri potest directa, n. 579.

Repugnat, ut in puncto, in quo discordant, concordent, n. 581.

N. 578. Primum est, duplicem hic esse posse quaestionem; unam absolutam, nempe,

an liceat sequi minus tutam certè, etsi minus probabilem? alteram conditionalem, nempe, an liceat illam sequi, si fiat reflexè probabilior? confundere autem unam cum alterâ, & absolutam resolvere per conditionalem, est in Logicam peccare. Punctum, quod Probabilitas inter, & Probabilioritas tanto calore agitur, non est, an liceat sequi minus tutam minus probabilem, si fiat reflexè probabilior; sed est, an absolute liceat sequi minus tutam, minus directè probabilem, stante opposita tutiori probabiliori? Quod verò hoc ita sit, patebit evolventi utroque Doctores; nemo enim est ex plurimis, quos legi, qui quaerat, an liceat minus tuta minus directè probabilis, facta reflexè probabilior; sed absolute quaerunt, num liceat minus tuta, certo, etsi minus directè probabilis? quam vis deinde, ut in omni alia quaestione contingit, sententia, quam quis eligit, fiat eligenti ob sua argumenta reflexè probabilior.

Secundum, ut saepe adverti, est, quòd N. quaestio de licito, aut illicito uti minus tuta, minus directè probabilis, est reflexa: omnis enim quaestio habens pro objecto cognitionem est reflexa; reflectit enim supra aliam cognitionem: ergo cùm quaestio de licito uti habeat pro objecto cognitionem probabilem, est reflexa. Porro licet possum supra ipsam cognitionem probabilem reflectere, querendo, an liceat; in quo casu ipsum iudicium directum probabile est objectum iudicij reflexi affirmantis, aut negantis licere; ita quoque possum iterum reflectere supra ipsum iudicium reflexum affirmans, aut negans licere; in quo casu ipsamet sententia affirmans, aut negans licere, est objectum alterius iudicij reflexi, nempe rationum probantium licere, aut non licere. Hæc viro ingenioso quàm obvia, tam clara sunt, ut videre est in omni quaestione reflexa cujuscunque scientiæ. Appello, alijs omisiss, ad Theologiam. Quaeritur ex. gr. an mortale sit malitiæ infinita? Hæc quaestio est reflexa, quia est circa mortale, quod utique includit malitiam moralem: fac, ut quis affirmet: ecce hoc iudicium affirmans est reflexum, nam reflectit supra peccati malitiam: fac, ut suam sententiam affirmantem probet: ecce rationes, quibus probat peccati malitiam esse infinitam, est aliud iudicium reflexum, quod habet pro suo objecto directo, seu immediato ipsum iudicium affirmans peccati malitiam esse infinitam.

Tertium est, aliud esse conclusionem, N. aliud motivum conclusionis: hæc duo inter se differre, patet; nam conclusio potest esse vera,